



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De usu & effectu privilegiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

si, ex dictis jam patet & ex cap. 13. ac 29. h. t. & ex cap. dilecto 4. de confirmatione uis, ita tamen, ut de tali innovatione eodem modo videatur loquendum, quomodo de confirmatione in forma communi, aut ex certa scientia locuti sumus, juxta quam duplicem confirmationem duplex etiam innovatio, vel in forma communi, quæ nullum novum jus tribuit, vel ex certa scientia, aut æquivalente clausula, quæ novum jus facit, fieri potest. Et quamvis pari modo opponere se possit pars adversa contra petentem privilegij, cujus authenticum scriptum amiserat privilegiatus, si cut se opponere potest contra petentem confirmationem, si illius interfit ad cavendas lites neutrum fieri, si tamen contra petentem talem laicum v. g. nemo se ingerat, & hic probet instrumentum, in quo continebatur privilegium, fuisse amissum; & si probet tenorem instrumenti perditæ ac alias illius solemnitates; & demum si probet, caruisse illud omni vicio, innovari potest.

§. III.

De usu & effectu privilegiorum.

Nemo quidem cogitur uti suo privilegio, prout sumitur ex cap. si de terra 6. h. t. (cùm liberum sit cuivis, favori pro se introducto cedere) nisi sit privilegium tale alicui communitati concessum, cui privata persona renuntiare non potest, aut aliunde superveniat obligatio, utendi tali privilegio, prout fieri possit, si concessum fuisset alicui privilegium

Compend. Parhins.

ut tempore interdicti Missam audire possit, hic in diebus festis Missam, si hæc etiam interdicti tempore legeretur, audire deberet, & sic uti suo privilegio.

Ut autem privilegium suum sortiatur effectum, & jus aliquod privilegiato conferat, requiritur, ut privilegiatus (vel saltem procurator ejusdem ad hoc sollicitandum, vel acceptandum constitutus) habeat ejus notitiam, & acceptaverit, cap. ex parte 13. h. t. & cap. si tibi 17. h. t. de prebendis in 6. (neque enim invito datur aut prodest privilegium) & uti hoc poterit etiam extra territorium concedentis, si personale illud privilegium ab homine, Episcopo v. g. concessum fuerit, cùm privilegium tale personale cohæreat personæ, & ipsa privilegi concessio sit actus jurisdictionis voluntariæ, quæ extra territorium concedentis suum robur etiam obtinet.

SECTIO V.

De variis excessibus seu de abusibus privilegiatorum prohibitis jure Canon.

§. I.

Qui sint excessus seu delicta privilegiatorum, & quomodo puniendi.

Longum satis catalogum contexit Pontifex in cap. cùm plantare 3. h. t. de excessibus, quos committunt privilegiati

LII II

legiati